

IX 4

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

LD 171

SIGNAT. MDCCCXIII.

21 gl

FABVLÆ

EX
ANTIQVIS ET RECENTIBVS
AVCTORIBVS SELECTÆ, ET

à

Pantaleone Candido Austriaco,
Carminibus explicata.

Auctor Lectori. S.

*Vera, Dei ex Verbo, qui non vis discere, saltem
Te doceat mores fabula ficta, bonos.*

Impressum Biponti M.D.XCVI.



ILLVSTRISSIMIS ET GENEROSISSI-
MIS PRINCIPIBVS ET DOMINIS,

Domino Iohanni, D. Friderico Casi-
miro, et D. Iohanni Casimiro, Illustris-
simi Principis ac Domini, Domini

I O H A N N I S, Palatini Rhe-
ni, Ducis Bavariae, Comitum
Veldentiae et Sponheim,

&c. Filij. D. P. suis

Clementissi-
mis S.

Narrationes illae, quas fabulas seu Apologos
nominamus, in quibus singulari & jucun-
da commentatione, rebus inanimatis & a-
lijs, sermo, ratio, facta atque eventa tribuuntur, cui-
vis aetati omnibus propè temporibus, magno sem-
per usui atque admirationi fuerunt. Neque enim
praecleari solum, qui extra Ecclesiam, sapientiae & eru-
ditionis laudem meruerunt, viri, has imagines com-
menti sunt & usurparunt: Sed ipse etiam Spiritus
Sanctus, easdem figuras adhibuit, ubi in docendis &
ducendis hominum animis, apertior exprobratio &
reprehensio, cum periculo conjuncta, & intempesti-
va esse videbatur. Quapropter non me taedet, vel in
functione hac sacra, vel in aetate hac mea ingraves-
cente, tales apologos vel legere, vel eosdem in liga-
tam orationem transferre. Tenuis quidem haec com-
mentationes, & de nomine contemtibiles esse viden-
tur: fabulas enim eas appellant, quasi, quàm nugæ

inanes & frivola, aliud essent nihil: attamen si vim earum, & dignitatem consideremus penitius, non parum illis ad ingenij expolitionem, ad morum elegantiam, & ad consiliorum rectitudinem, & judicij formationem, momenti atque utilitatis, in quavis ætate & statu, inesse experiemur. Qui literas discunt pueri, informationem requirunt, & illicitum, quo ingenia excitentur, & ad culturam accommodentur. alacrius autem tenellæ mentes accedunt ad discendum ea, quibus delectantur, & quæ intelligunt, quæ ea, quæ in amœna ipsis, & obscura, & peregrina videntur. facilius etiam imbibuntur, tenacius adhærescunt & ad usum expeditiora sunt, quæ admirationem pariunt, & cum voluptate discuntur, quam ea, quæ animos dulcedine suâ non afficiunt, neque delectant. Hoc quum persentiscerent prudentes viri, fabulas hæc discantibus proposuerunt, quæ lepida sunt et jucundæ, ut quum eas admiraretur juvenis, sub earum imagine & involucris, doctrinam simul & amorem veritatis, modestiæ, prudentiæ, atque aliarum virtutum, cum primis elementis, avidius conciperet, atque amplecteretur. Homerus ille, cujus sapientia omnibus admirationi fuit, pugnam ranarum & murium scripsit, fingens mures, nonnullam injuriam provocatos, quum armis eam vindicare, quam dissimulare mallent, nimiumque suis viribus, adversus imbelles ranas fiderent, tandem victos & punitos esse. quo lepidissimo commento teneros animos delectare, & simul docere voluit, quod nonnullæ
inju

injuriae sint tolerandae, potius, quam vindicandae, quod bellorum exitus sint incerti, quod potentiores saepe ab imbecillioribus vincantur, quod saepe malum omne in auctoris caput recidat. ut hoc modo Juventus a vitijs insolentiae, & cupiditatis vindictae & turbatur, ad modestiam & alias virtutes revocaretur.

Nec pueris solum oblectandis & informandis haec picturae conducunt: sed adultos etiam de varijs & utilibus rebus commonefaciunt. Hesiodus Ethnicus & religiosissimus sacerdos, quem a Musis acceptis calamis, vatem factum esse dixerunt, composito de accipitre & luscinia, apologo, cives suos condocere voluit, ut a violentia et injuria, qua nihil foedius & immanius sit, temperare sibi studerent. Eundem finem propositum habuit, Fabularum nonnullarum autor Aesopus ille, quarum consideratione homines ad virtutum studium deducerentur. Saepe etiam concinna fabularum accommodatio, magnum apud totam multitudinem hominum, pondus habuit, atque incitamentum. Sic Agrippa ille, plebem Romanam, cum a Patribus dissideret, commemoratione Apologi de ventre et reliquis hominis membris, ad concordiam, et officium reduxit. Demosthenes, gravis autor, quum Macedo eadem conditione, cum Atheniensibus foedus facturum esset, ut illi Oratores sibi dederent, qui perpetuis concionibus animos civium adversum se exacerbarent: iniquissimam conditionem, Reipublicae festivo quodam apologo dissuasit, licet ab eadem plebs, diuturno bello vexata, non ita multum abhorreret.

Nam quum docere vellet, in hoc postulari Oratores, ut urbs destituta oratorum praesidio, regiae Tyrānidi pateret, mirā luce et perspicuitate, Macedonis consilium ante oculos multitudinis posuit, hoc commento: Lupos quōdam cum pastoribus pactos esse, nihil se posthac hostile ovibus illaturos esse, si sibi canes dederentur. Placuit stultis pastoribus conditio, canesque dediti sunt. Proinde ubi lupi viderunt excubias caularum sublatas esse, libere grassari in gregem cepere. Hac fabula quum docuisset, quanti referret oratores servari, Rempublicam tantisper servavit, cum hoc consilium valuit. Haec exempla, quā mira vis sit fabularum, ostendunt.

Nec apud Ethnicos solum tales apologi celebres, & in usu, atque efficaces fuerunt: sed & Sacra Scriptura ab eorum usurpatione non abhorret. Sicut apologus de arboribus iudic: 9, cap: testatur. Sic & ipsum filium Dei, allegorij & alijs sermonum figuris, delectatum esse constat.

Sæpè ego audivi, quum praecipuos mei praclarissimi & sapientes viri, magnoperè nobis, & multis, & gravibus verbis, fabularum lectionem, & doctrinas in ijs comprehensas, cōmendarent. Et magni quidam nominis Theologus fuit, qui existimavit, quod post Codicem, quo sacrae literae comprehenduntur, nullum extaret scriptum, cui tanta inesset sapientia, & suavitas, atque commentis illis solertissimis, qui Phrygi Aesopo adscriberentur, nec quod dignius esse lectione, et cognitione iudicaret. et licet libellus

lūs

libellus ille puerorū manib⁹ teratur, tamen multos in fastigio sapientiæ, non re ipsa, sed sua opinione collocatos videri, qui ne unum quidem Apologū fatis intelligant. Talia iudicia non inania, opinor, sunt, nec parvi momenti existimanda. Magnum decus, imò præclaram laudem, eruditionis, sapientiæ iudicii & humanitatis, hominibus affert festivitas illa, & promptitudo, quam in miscendis huiusmodi vel vulgaribus etiam apologis, in quotidianis colloquijs, usurpare consueverunt.

In hac igitur re tam utili atquè præclarâ, operâ qualēcunq̄e posui, & paraphrasin hanc quarūdâ fabularum, vario genere carminum concinavi. Hunc autem laborem, & hos conatus meos, vobis, Illustrissimi Principes, dedicandos esse putavi. Ea enim jam vestra est ætas, is vester in latinæ linguæ cognitione, in pietatis doctrina, & honestarum disciplinarum institutione, omnium, qui vos noverunt, testificatione, progressus et excellentia est: ut tales Apologos & didiceritis jam nunc, & memoriâ teneatis, & ad usum, in morali sermone, transferre queatis. Quæ bona vobis, Dei in primis concessu & gratiâ, tum Parentum & Præceptorum fidelitate, vestraq̄e diligentia, præ multis alijs, non vulgaribus solū, sed illustribus etiam ingenijs obtigerunt. Et exēplo vobis est, religio, sapientia, & gravitas Parentis vestri, Principis doctissimi, et ad summos gubernationis, ingenijs, & scriptionis, ad comūne bonū, labores, nihil reliquum sibi facientis, qui & doctrinā pieta-

tis rectè intelligit, & præceptis sapientiæ & consilio-
rum ita instructus est, ut, quacunque de re sermo in-
cidat, aut instituenda deliberatio sit, continuò aut
gnomas doctas, aut historias memorabiles, aut apo-
logos graves lepidosve, ex penu memoriæ suæ, tan-
quàm ex cornu copiæ & amplissimo thesauro, pro-
ferre, suosque iisdem sermones condire, in more
positum exactumque habeat.

Hunc igitur laborem meum, benignè ut suscipia-
tis, oro. Deum precor, ut parentes vestros, vos-
met, & sorores vestras, tum totam familiam Palati-
nam, suo sancto Spiritu, regat, & Ecclesias, Scholas,
& Politias, in hoc Ducatu & alibi, foveat, augeat, et
conservet. Biponti, Mense Martio, Anno Do-
mini, M. D. X C VI.

Illustrissimis C C, V V,
Deditiss: & Humil:

Pantaleon, Candidus, M
Pastor Ecclesiæ Biponti:

FABVLAE ALIQVOT.

1

IVPITER ET SIMIA.

Iuppiter omnigenas cupiens perdiscere formas,
Ad se vocavit universas bestias.

Sistit ei natum ipsa suum tunc Simia dicens:

Pulchrone, quaeso, pulcriorem cernere
Hocce meo possis nato? inquit Iuppiter illi:
Formosus est, natesq, nudus candidas.

Qui proprio laudes proprias ebuccinat ore,
Propinat ille ceteris se risui.

IVPITER ET TESTUDO.

Iunonem quando ducturus Iuppiter esset,
Et t. adas vellet conceleberrare sacras,
Et simul omnia, ad hac, animalia, festa, vocasset,

Adfuerunt studio, singula bruta, bono,
Sola moram traxit testudo. rogata, quid esset,
Cur adeo longam, traxerit illa moram?

Respondit: Sua cuiq, domus carissima semper.
Paena hac, iratus quam Deus ipse ferit:

Vt, quocunque loco sit, iter quocunque capebat,
In tergo propriam, bajulet illa domum.

Vnde & tardigrada, et domi porta & sanguine casta,
Testudo, antiquis indiget. ata fuit.

Aularum utiliter quidam splendoribus, ante,
Exiguas, magnis, res posuisse solent.

Cunctando proceres timeas, incendere, bilem
Nanque mora in nasum concit, ut ipsa fames.

2
Molliter, offensos studeas placare loquendo,
Sermo ferox aliis sæpè movet stomachum.

IVPITER ET ANGVIS.

Calcatus anguis à quibusquè, Iovem suis,
Onerat querelis, ob graves injurias,
Quas cogere tur undiquaque perpeti.
Huic Iupiter, si primus, inquit, calcibus,
Qui te petivit, vulnera & morsus tuos
Sensisset, haud pedem intulissent cæteri.

Injurias primas regerens, cavet novas.

IVPITER ET APICVLA.

Apis dolens damnum suis laboribus,
Inferri ubique à quolibet favos jovi,
Affabrè factos exhibebat, supplicans,
Sibi, letiferos aculeos ut inderet,
Injurias uti qucat propellere.
Immanitate eà bestiola juppiter,
Offensus: immò, refert, aculeos tuos,
Dabo esse vitales, ut amissis eis,
Vitam simul cogaris ipsam amittere.

Pœnas moderatas esse delinquentium
Decet, nimia ira Diis vel ipsis displicet.

SOL

SOLET AQUILO.

B

Sol ardens, Aquiloque tumens de robore quondam,
Inter se lites instituere graves,
Convenit utriusque, ut fortior ille feratur,
Veste viatorem qui spoliare queat.
Prima tenens Aquilo, resonantibus aspera ventis,
Flabra, viatoris corpus in omne quatit.
Quò magis ille furit, magis hoc se veste viator
Integit obnitens, involuitque magis.
Posterior Phæbus radiis hunc lenibus ambit,
Intendens æstum, dein magis atque magis.
Ille calore acri lassus, sua pallia primum,
Exiit, hinc vinculis liberat & tunicam.

Sic quod vis nequirit, moderatio præstitit illud,
Viribus ingenium prævaluisse solet.

SOLET NOCTVA.

Noctis quòd umbras Sol suis splendoribus,
Soleret illustrare, rebus & diem,
Tenebricosis undique reddere,
Ferebat agrè amica noctis noctua,
Ob id dicamque dixit illi maximam.
Phæbus suam volens tueri gloriam,
Quid, inquit, aureum meum incusas jubar?
Quod luce cuncta lustrat, et fovet sua?
Non heret in me culpa, sed in oculis tuis,
Qui lucis indociles, diem pati haud queunt.

4
Odere virtutem, & queruntur improbi,
Quod detegat nefanda eorum crimina.

DIABOLVS ET FOENERATOR.

Fœnoris exactor simul & malus angelus ibant,
Ferret ut hic homines ferret ut alter opes,
Prætereunt quæ domum, quæ flenti irata puello,
Truxferat ut Dæmon te modo, mater, ait.
Ille monet Genium. tibi deditur, i, puerum aufer,
Cui cuncta abundo sic ait ore Satan:
Quædixit nato, non dixit seria, mater,
Cor aliud sentit, vox aliud quæ sonat.
Perrexere. venit cerdo, quæ debita poscit,
Debitor huic animis extimulatus, a t:
Te malus ut Dæmon rapiat cum fœnore ad auras,
Tunc comiti Genius sic ait ore malus:
Hic verò loquitur modo seria, deditus es mi,
Dixit, eum medio corripuit quæ virum,
Luctantem & Stygias secum raptavit ad undas.
Sic quæ suâ prædâ prædo potitus abit.

Danda est incautis matrum indulgentia, dictis.
Et nugis etiam vis sua sæpè subest.

SATYRVS ET IGNIS.

Ignis favillas ipse cum Prometheus,
Furto Iovi abstulisset, & mortalibus,
Primò attulisset, & Satyrus ovans eum
Oculis

ANTITHEON 9
Oculis suis lustrasset, amplecti parat,
Et osculari, quippè qui mirè illius,
Splendore deleteretur, at hunc Promethæus,
Tactu jubet abstinere, nî barbam sibi,
Mentumquè totum adurier velit suum.
Vehementer ergò tunc Satyrus Promethæa,
Fertur reprehendisse, quòd tam splendidum
Malum attulisset muneri mortalibus.
Simulquè respondisse tunc Promethæa,
Ignem malum non esse, quamvis ureret,
Vt qui simul lucem & calorem maxima
Iucunditati, & usui mortalium,
Præberet, in què fabricationibus,
Rerum variarum, commodaret plurimum,
Si dextrè eo, & rectè quis uti noverit.

Rerum omnium suus tenendus usus est,
Sinistra ne damno sit usurpatio.

HOMO ET LEO.

Homo leonem, cogitans pervincere,
Quòd fortiores sint homines leonibus,
Monstrat simulacrum, in quo leonem homo obterat.
Leo inquit illi: si genus nostrum edere,
Simulacra quiret: in qua hominem fortis leo,
Prosternat, effigiem darem contra tibi.

Vana est propriæ virtutis ostentatio.

43

Ponbat statuam domi in sacello,
 Divi, nescio, cuius, huncque multo,
 Quidam de veneratus est honore,
 Et rogare, ut opes sibi benignas
 Largiretur, & hoc magis magisque,
 Indies agitavit, hinc sed haud est
 Pilo ditior ille factus uno.
 Tandem irâ incitus impotentiore,
 Invasit simulacrum, humique dextrâ,
 Constravit, simul utque testa saxo,
 Illisa est capitis fragore magno,
 Ecce auri, quod eò latebat, ingens
 Vis hinc exiliit, quod ut recepit,
 Quæ nam, Divæ, ait, insolentia hæc est,
 Cultorem modo me ipse negligebas,
 Contemptorem opibus beas optimis?
 Pravos obsequio minus, feroci,
 Quàm deviceris obstinatione.

MEDICVS DE AEGROTO MORTVO.

Funus habebatur ferali flebile pompâ,
 Ad tumulum magna est quod comitata cohors,
 Vnâ ibat, medicus, qui olim curaverat egrum,
 Multa super tali funere, verba serens:
 Si vino egrotus sese abstinuisset, & alvum
 Laxasset senæ pulveris usus ope:
 Haud dubie poterat salvam producere vitam.
 Tunc ad eum senior qui comes ibat, ait:
 Quæ

Quamodò verba facis, dudum fecisse decebat,
Aeger adhuc vivo corpore quando fuit,
Post obitum serò & frustra medicamina fiunt,
Intempestivè scilicet ista mones.

Tunc succurrendum est, cum res tempusquè requirit.
Ferre laboranti convenit auxilium.

MERCATOR ET AGASO.

Merces suas cum forte vellet institor,
Ad nundinas deferre, conduxit suâ *Carthage*.
Mercede asellum pandum, eiquè sarcinas
Imponit, huic agaso procedit comes,
Sub aestuantis igne Solis arduo.
Tunc institor Phæbi ut caveret spicula,
Stantis sub umbrâ aselli, humi se condidit.
Ut hoc agaso vidit, ilicet sibi,
Hunc ipse deberi locum umbræ clamat,
Asinum, inquiens, locavi, & haud umbram tibi.
Id hic ait quidem, sed ille pernegat.
In urbe proximâque iudices sibi,
Vterque dum querit, vacat què litibus,
Ecce, interim ipse transiére nundina.

in d'is vobis umbræ sibi quærit.

De frivolis certare multi sic solent,
Res ferias ut vilipendant interim.
Quid hi aliud agunt, quàm quòd de asini umbrâ disputant?

INTEMPESTIVA.

Quaedam mulier formosa, eademque juvenula,
Habens virum, qui saepe abesse sueverat
Domo, lucrosus & vacare mercibus:

Amare quempiam solebat alterum.

Qui fortè apud se quum foret: ruit illicò

Qui nunciat, venire maritum: ibi fœmina

Iubet hominem istic propè puteum sibi querere,

Per quos repentè evadat ille cuniculos.

Amans abit, reditque, nullum ibi, inquiring.

Puteum esse, sed vestigia putei modò

Quaedam veteris mulier: quid hoc, ait, tuâ

Refert? modò fac, ut appropinquantî viro

Te subtrahas meo. ille: quin tu autem benè,

Rectèque monstras? illa: quin tu autem fugâ

Tibi consulis, verbisq; parcis inanibus?

Non ille verò litigare desijt,

Maritus illum donec apprehenderit

Pœnisque machum debitis oppresserit.

Sic ille, pro leuissima re, maximas

Loquacitatis futilis pœnas dedit.

Est poena garrulitatis infortunium.

TUBICEN.

Fortè excitatis Tubicen aciebus suo

Cantu, atquè factò pralio captus, neci,

Ne

Ne me, inquit, date, nemo quia ex vestris me
Occisus est manu, videtis, ipse quod
Inermis, hanc prater tubam, gestem nihil,
Imò, inquit hostes, ob id te scilicet
Letabimus, pugnare, quòd cum nescias,
Alios ad arma, ipsasq; pugnas incitas.
Magis nocent ij, qui potentes incitant,
Ut malè aliis faciant, quàm qui ipsi sunt mali.

LIGNATOR ET VULPES.

Instante vi canum misera vulpecula,
Cursu ad Colonom venit, ante casam suam,
Qui fortè ligna cecidit, hunc supplex rogas,
Quavis misellum ut abderet cavernulâ,
Diris ne fieret præda venatoribus.
Colonus hanc intrâ domum post januam
Iubet venire, quâ lateret optumè:
Mox cogitans quòd quadrupes sit noxia,
Sequentibus repentè venatoribus,
Cum quærerent, vulpem ne viderit viam
Huc tendere, aut sese abdidisse quopiam?
Non ille apertè supplicem tunc prodere,
Est ausus, idcirco ore magno pernegat
Vidisse, at interim manu & vultu indice,
Locum notat, lat ère quâ vulpeculam
Intelligi vellet. Sed hi verbis modò
Cum attenderent, non nutibus, prater volant,
Celerè, exit hinc vulpes, abitq; rustico

Ipso in salutato (sed enim conspexerat
 Audiveratq̄, perfidus quid egerit?)
 Inclamat ille, quò male grata te abripis,
 Vite salutem, qui mihi debes tuæ?
 Adhæc: agerem, Vulpes ait, grates tibi,
 Si cum tuo sermone vultus & manus
 Consentiant, si quid benè precabor, benè
 Lingua precabor. interim manum tuam
 Esse amputatam, oculos sed effossos velim.
 Multi benè pollicentur, at faciunt malè.
 In ore mella, in corde bella, qui gerunt.

AGRICOLA ET ANGVIS.

In rusticana vestibulo domus
 Lares habebat seps viridis suos:
 A filio calcatus ille
 Illius Agricola puello,
 Eum momordit, virus & inferens
 Letale, tristi tradidit, hœu, neci.
 Dolore non vulgari & irâ
 Percit us agricola impotenti,
 Anguem bipenni conterere expetit,
 Quando cubili reperet è suo,
 Seps criminis tanti sibi ipse
 Consciens, haud fuit ausus inde
 Prodire, cautè sed caput extulit,
 Ferit, colonus seps cavet, incidit,
 Ictus caverna prominentem
 In lapidem facit huicq̄, plagam.

Exire

Exire nollet seps ubi, rusticus
 Ad ora, panem salq, foraminis,
 Apponit, optans egredi illum,
 Pacem uti conciliare possent.
 Respondit anguis, pax fieri nequit
 Sincera, donec tu videas tui
 Nati sepulcrum, donec ipse
 Signa mei videam cubilis.

Conjunctio non est animorum ea
 Constans, amore aut intima candido,
 Ira, cicatricum, prioris
 In quâ aliquid superesse cernas.

AGRICOLA ET CICONIA.

Inter grues colonus & ciconiam
 Cepit: rogat hæc vitam sibi donarier,
 Quod innocens, pia, & hominibus sit utilis,
 Etenim venenatis, ait, nostrum genus
 Captare suevit, & vorare bestias,
 Suos humeris, & imbecilles, aridâ
 Gestat parentes in senectâ, & subleuat.
 Huic Agricola inquit: ista, ut inquis, omnia
 Vera esse credo, sed tamen quoniam tu in hoc
 Simul nocentum deprehensa es agmine,
 Cum eis eandem ferre cogaris necem.
 Quivis similis habetur, illis, cum quibus
 Degit, & iisdem sæpius abripitur malis.

HERVS ET SIMIA.

Simia erat domini cujusdam pergulâ in amplâ,
 Versuti pollens viribus ingenij,
 Ne quisquàm quicquàm auferret de mercibus illis,
 Illa observatrix gnara sagaxq; fuit.
 Notus homo dominum monuit, ne crederet isti
 Bestiola, istius tam bona multa loci.
 Illud hero renuente, subit vir is, & bona vina,
 Saccaraq; apponit dulcia Simiolo.
 Quae simul illa bibit, sopita est is preciosum
 De bysso pannum sustulit, ac abiit.
 Amisâ pro re dominus stomachatur, at ille,
 Quae tulerat domino reddidit illa suo.
 Nec reticebat enim, quâ calliditate, vel astu,
 Custodem circumvenerit ipse suum.
 Asper herus tunc simiolam pro crimine tali,
 Tractavit duris undique verberibus.
 Simia dein quoties hominem procul aspicit illum,
 Qui dederat nuper dulcia vina sibi,
 Refugit, ac oculos manibus diducit utrinq;
 Sic sua ne veniat somnus in ora, cavet.
 Icta semel vino, dein pocula, bestia vitat,
 Solus homo non vult damna cavere meri.

RVSTICVS ET SIMIA.

In sacculo nuces gerebat rusticus,
 Fessusq; longâ de viâ, sub arbore
 Densa sedens, in somnum adactus incidit.

Hoc

Hoc conspicata Simia, illâ ex arbore
 Descendit, & manu resolvit sacculum,
 Nucesq; sumit, quot quot ore ipso, & manu
 Portare quibat. utq; in arborem redit,
 Delapsa nux est una, quam ne amitteret,
 Descendit, accipit, subitq; denuò
 In arborem. sed ecce lapsa denuò
 Nux est, quam dum recuperare satagit, gravem,
 Edit strepitum. quo expergefactus rusticus
 Cum fuste Simiam insequens, tractat malè.
 Sic vapulans reliquas etiam amisit nuces.
 Res appetens plures, quoquè perdit, quas habet.
 AEs negligere in loco eximium interdum est lucrū.

FABER LIGNARIUS ET SIMIUS.

Ornum pararet findere quùm Faber,
 Fortem bipenni tunc cuneum gravi
 Impingit, illis & relictis,
 Hoc modo, ab it dapibus vacatum.
 Hunc inquietus, stans propè Simius,
 Sic factitantem viderat, ac eò
 Accedit, insidensq; ligno,
 (Tangere nam pede humum nequibat.)
 Multum occupatur, quò cuneum queat
 Movere, eumq; impellere denuò,
 Sic ut fabrum fecisse dudum,
 Viderat. hoc dum agit at, misello

*Fissuram in ipsam fortè pudendula
 Pendere, postquàm sed cuneus fuit
 Liber, coit rima & pudenda,
 Comprimat. hic queri & ejulari.
 Pervasit aures clamor is ad fabri,
 Et ceterorum, qui subito advolant,
 Et fustibus magnisq; contis,
 Simiolum malè dedolarunt.*

*Qui curiosè multa faceffere,
 Falcemque messem mittere qui solent
 In non suam, multa hos acerbo
 Damna pudore pati necesse est.*

PASTOR ET VENATOR TIMIDVS.

*Vocibus inflando venator se tumidis, cui
 Frigidus in molli pectore sanguis erat,
 Nunc agè, mi fulvi vestigia certa Leonis,
 Monstra, ad pastorem, qui propè agebat, ait:
 Pastor ad hunc: en hìc ea sunt. benè habet, nihil ultra
 Nunc peto, venator constupefactus ait.*

*Verborū ampullas ructant, quidam ore Thraones
 Sed cordis minimum res ubi poscit, habent.*

PASTOR ET LVPVS.

*Pastor catulum lupi inveniens tulit domum,
 Et cum canibus aluit suis. & quandò oves
 Invaderent lupi, ipse cum domesticis,
 Hos persequi & propellere institit: sed ut*

Canes

Canes lupos festi haud valebant assequi,
 Contentione maximâ lupos petit,
 Præda ac eorum factus ipse particeps,
 Et ventre fartus, ad canes redijt suos,
 Quin ipse cum commilitonibus suis
 Canibus, oves domi voravit improbus.
 Hoc pastor advertens, scelestum eum lupum
 Pendens ab alta strangulavit arbore.
 Pilos lupo non ingenium mutat malum.
 Prava ingenia rarò induunt mores bonos.

PASTORIS CANIS DEGENERANS.

Egregius fuerat pastori ad ovile Molossus,
 Quem latere, ac animis noluit esse rudem,
 Cuius ope infestos arcere luposq; ferasq;
 Atq; suum salvum posset habere gregem.
 Vana nec ista fuit domino spes, irruit ardens
 Fortè lupo miseris ut laniaret oves,
 Hunc canis aggressus, domini auxiliaribus armis,
 Terruit, incolumes & servavit oves.
 Tamq; diu se vos vim exercuit acer in hostes,
 Marte suo didicit dùm superare lupos.
 Sic ad eò effecit, ne quis regionibus illis,
 Amplius auderet se tenuisse lupo.
 Libera gens ovium securis, tempore longo,
 Pabula carpebat dulcia ubiq; locis.
 Otium at interea traxit geniale Molossus,
 Pinguis in effætâ delituitq; domo.

Post menses aliquot longis lupus unus ab oris,
 Venit, & in teneros irruit ore greges.
 Tardior ad bellum jam desuetudine longâ,
 Ille, fit inferior protinus hoste, canis.
 Ex illo numerus minor & minor ille videri,
 Semper oves avido diripiente lupo.
 Hoc dominus cernens, ò, quàm foret utile, si pax
 Tàm longa haud nobis ista fuisset, ait.
 Deq; novo tardum extimulare ad dura Molossum,
 Prælia, terrificos, debuit, inq; lupos.
 Elanguet nullis stimulis exercita virtus.
 Marcere solet virtus sine adversario.

PISCATORES ET THUNNVS.

Qui captare solent pisces fluvialibus undis,
 Iam multos opera lassè exhaustè labores,
 Et tamen haud ullum potuerunt prendere piscem,
 Ergò parant animo indignante abscedere lymphis,
 Et cymbam ad terram convertere. tum simul, ecce,
 Piscibus à magnis agitatus in equore thunnus,
 Insilit in vacuam, ante illos, pede præpete, navem.
 Factus & est avidis ita piscatoribus esca.
 Inde domum læti prædâ hac abière potiti.
 Sæpe solent fortè, & fortunâ obtingere, quæ non
 Arte queunt ullâ, aut ullâ ratione parari.

PISCA-

PISCATORES SAXVM TRAHENTES.

Cùm Piscatores traherent è flumine nassam,
 Sentirentq; gravem, præ grandi pondere, molem,
 Letitiâ exultant animis, & gaudia versant:
 O socij, non hanc operam sumemus inanem.
 Vt verò ad terram traxerunt retia, ibi in gens
 Esse vident saxum, quod prædam antè esse putabat,
 Concidere illi animis tristari & corde vicissim,
 Ob damnum proprium & vani ludibria casus.
 Tum quidam ex illis senior sic ore profatur:
 Ne verò, ne ferte animis id quicquid, iniquis,
 Letitia consanguineam quin creditis esse
 Mæstitiam, hoc animis nobis jam præcipere antè
 Debueramus, habere suos quoque gaudia luctus.
 Ne lætè priù quàm optata es forte potitù.

PISCATOR CVM TIBIA.

Piscator liquidas venit cum tibiâ ad undas,
 Hoc sibi promittens, quod si tam suavia pisces
 Auribus acciperent modulamina, continuò se
 Sint in humum, pede, de lymphâ, exiliente daturi.
 Spe falsus, subito sua retia sumit, & illa
 Demittens in aquas, multos è flumine pisces,
 Extrahit, expositis & subsilentibus illis,
 In ripâ, modò saltatis, stomachosior infit,
 Piscator, qui me calamo tam dulce sonante,
 Intempestivam tenuistis in amne quietem.

Quæ non cunq; suo sunt tempore facta, locoq;,
 Laude carent, nihil & commoditatis habent.

AUCEPS ET AVICVLAE PRAECEPTA.

Aucupem avis, qui se tenuit, studiosa rogabat,
 Ut libertatis se donaret avitæ,
 Facturum illum opera precium memorabile parvæ,
 Terna etenim se velle illum præcepta docere,
 Servatis quibus is semper queat esse beatus.
 Auceps polliciti gaudens spe divite tanti,
 E vinculis dimittit avem super arbore sidens
 Illa, suo præcepta tria hæc è gutture promit:
 Crede parum, tua serva, & quæ perière relinque.
 Libera avis tales etiam dedit ore loquelas:
 Dij Superi, vobis magnas ago pectore grates,
 Pro libertatis dono hoc, quod si bonus iste
 Scisset, ego quali thesauro nobilis essem
 Nunquam is me teneras misisset liberam in auras.
 Nanque Smaragdus inest mi, unam qui ponderis ampli
 Vnciam habeat. simul audi vit quæ credulus auceps,
 Angit sese animis, & pectore mæstus acerbo,
 Pænitet, heu, prædam qui sic dimiserit illam.
 Hunc avis affata est istis sermonibus: Ohe,
 Si mea non servas præcepta, iuvare nequibunt.
 Cur mihi nam credis quod tantam in viscere gemmam
 Ipsa meo gestem, quæ pondere ad unciam haberet,
 Quando meum integræ non sit s. miuncia pondus?
 Quod si hoc est verum, cur me non asseruasti?
 Hoc adeò sed quum neglexeris, id modo restat,
 Quæ repeti haud possunt, ne frustra amissæ requiras.
 Ut horum desilero excrucieris inani
 Aucupe & his missis dictis procùl inde volavit.

Crede

Crede parum, tua serua, & quæ periêre relinque.
 Multi multa bona accipiunt præcepta, sed illa
 Qui seruet, vix sit multis è millibus unus.

AVCEPS ET ANGVIS.

Exibat auceps avibus insidias struens,
 Turdumq; in alta conspicatus arbore,
 Aptare arundinem, illinere & visco institit
 Fixis oculis in alite, inq; spe sua,
 Hæc inter anguem herbâ latentem calcibus
 Incautus ille pressit, à quo concito
 Ictus, repente, letiferoq; vulnere
 Accepto ait, miserum me, alij qui dum struo
 Fallacias, vitam ipsus amitto meam.

Malum consilium est consulenti pessimum.

VIATORES.

Stabant viatores ad alti litora
 Maris, videntq; nescio quid adnatans
 Procul, rati navem illud esse maximam.
 Paulo morantes, esse lembum existimant.
 Vt venit id propinquius, istorum nihil
 Sed esse sarmenti struem ingentem vident.
 Quid hîc, viatores, moramur, inquiunt?
 Navem quid expectamus hîc inaniter?
 Docemur, ignotos aliis formidini,
 Quosdam esse homines opinione quidem sua,
 Sed his ubi congregi accidit propinquius,
 Extemplò eorum futilitatem cognitam
 Plerisque reddi, ignaviamque conspici.

INIMICI.

*Duo vehebantur inimici acerrimi
 Inter se eadem navi, è quibus hic occupat
 Partem priorem, ast alter in puppi sedet.
 Tum ventus ingens turbidum movet mare,
 Eratq; navis obruenda fluctibus.
 Tunc puppe qui sedebat, ad navis ducem
 Ait, quid oro, in nave, prora, puppis an
 Contingit undis primitus mergi, prior
 Ora, inquit ille: tum sibi iste gratulans,
 Ait, benè ergò, non mihi mors jam gravis,
 Mea est futura, quòd inimicum istum meum
 Perire, fas, oculis meis, sit cernere.*

*Multi, suis non affici solent malis,
 Dummodò suos hostes iisdem involvier
 Quoq; videant periculorum casibus.
 Ut quondam Achilles haud recusarat mori
 Leto prius si tradidisset Hectorem,
 Licet inscius non esset ipse, quòd sibi
 Ab illius quoq; mori endum esset nece.*

NAVIGANS VOVET.

*Plures in alto vela dabant mari,
 Navi insidentes mercigerae viri,
 Horrenda tempestas furenti,
 AEquora quàm ciet atra vento.
 Ne mergerentur mox aliquis Deos
 Votis rogabat cordis ab intimis*

Pro-

Promisit & se post daturum
 Si videant sua tecta salvi,
 Tàm magnum & altum pondere cereum,
 Quàm malus esset turgida spiritu,
 Qui vela gestet pando & aurâ
 Totam ageret validâ carinam.
 Huic unus infit, qui benè noverat,
 Quòd prorsus esset re tenui domi,
 Tàm grande cur audes vovere,
 Quod tibi solvere sit negatum?
 Respondit ille: ò si modò, si modò,
 Hoc exeamus grande periculum:
 Nummi unius tunc cereo omnes,
 Ipse Deos facile expiabo.
 Sunt, polliceri munera qui solent,
 In rebus arctis plurima et ardua,
 Salute sed, cum sunt potiti,
 Vult dare nemo teruntium unum.

AGER ET COLONUS.

Fundum colonus apparabat optimè,
 Qui, messe multa ei replevit horrea,
 Hunc rusticus dein ut colebat parcius,
 Frugis parum, zizaniarum plurimum
 Tulit. quod exprobrans agello rusticus.
 Audit: quàm iniquè comparatum hoc est, nihil
 Das, & petis multum. laborem impenderis
 Ut antè, arando & stercorando, sedulum:
 Profectò messe te beabo pristinâ.
 Suos agri labore vendunt redditus.

ADOLESCENTES ET COQUVS.

*Affederant olim coquo pueri duo,
 Suas agente res coquo, tunc ex ijs,
 De carnibus frustum, quod adjacebat, est
 Furatus alter, alteriq; tradidit,
 Illud suo qui vaser abdidit sinu.
 Frustum coquus videns deesse carniū,
 Hunc à pueris his postulat, cūm tertium
 Facti hujus alligare posset neminem.
 Tunc ambo dejerare, & is qui acceperat
 Ab altero quidem, quòd haud acceperit.
 Vicissim & is qui acceperat, quòd haud penès
 Se carnis hoc sit. at coquus, boni, ó boni,
 Vos verba, ait, dare mi potestis. at Deum,
 Qui cuncta cernit, non potestis fallere.
 Peccare nolì nam si homines id non vident,
 Deus tamen, hoc qui vindicabit, adspicit.*

COQUVS ET CANIS.

*Canis culinam ingressus, intento & coquo
 Rebus suis, rapit pecudis cor ac fugit,
 Inclamat hunc coquus: sit hoc, canis, tibi,
 Impune jam, sum post futurus cautior,
 Dedisti enim non abstulisti cor mihi.
 In re aspera vis excitatur ingenì.
 Ictus semel, caveto. quæ nocent, docent.
 In eundem lapidem impingere bis, piget & pudet.*

MVLIER

MVLIER ET GALLINA AVRIPARA.

Gallina villica diebus singulis
 Ovum pariebat aureum. hec vim maximam.
 Auri putans subesse, gallinam neci
 Contradidit, qui ret potiri quò semel
 Auro universo sed misera, heu: nihil nisi
 Ovum aureum recepit illic unicum,
 Omni deinceps destituta fœnore.
 Magna appetens amittit & mediocria.
 Cupiditates divitiarum reprime.

MVLIER ET ANCILLAE.

Nendo atque texendo, vidua ut vitam suam
 Suasq; sustentare posset oppidò
 Mane excitavit famulas, ad operas suas,
 Sub tignò avis cristata cum daret sonum.
 Hec visa permolestares famulabus est,
 Neci ergo dedere clamitantem illum alitem,
 Vt voce cuius heram excitari dicerent,
 Sibi ut liceret esse quietioribus.
 Verùm adeò non fuit hoc eis bono, ut magis
 Labore sint ex illo onerata, tempore,
 Quòd hera dein gallo haud sonante iam amplius,
 Sub nocte eas primà excitare sueverit,
 Vt quæ futura lucis haud nôrit moram.
 Sæpè ea nocent quæ profutura credimus.
 Bonæ spei consilia sæpe male exeunt.

QVADRVPEDES ET PISCES.

Quadrupedum simul omne genus, genus omne volantum,
 De victu inter se mutua bella gerunt,
 Vtraque pars socios, volucres sibi in æquore pisces,
 Reptilia & vermes altera turba, legunt.
 Venerat illa dies, quo classica rauca sonabant,
 Debit ad partes quilibet ire suas.
 Hinc ab aquis nequeunt pisces exire, sed inde
 Vermiculi nequeunt expedijsse gradum,
 Sic tunc ceperunt bello desistere utrinq̄,
 Iamq̄, alium superat qui superare potest.
 Fallitur, is qui spem promissa in fœdera ponit.
 Nil aude nisi quod perficere ipse potes.

CVLEX ET LEO.

Culex Leoni se inferens, ego haud te, ait,
 Formido, nam quæ tanta tua, age, est gloria?
 An quòd miseras trucibus bestiolas unguibus
 Discerpis, hoc iratæ idem quoque fœminæ
 Faciunt, viris quùm prælia intentant suis.
 Meumq̄, robur ut probem, age, pugnas cie.
 Dixit, suòque illo canore Martio
 Fractos sonitus imitante tubarum concitus
 Intrà leonis involat nares. leo,
 Ira infremens suis laniat sese unguibus,
 Naresq̄, & os cruore fœdat proprio.
 Culex, lè, latâ canens victoriâ,

Altè

*Altè evolat. sed inscius, proh parvula,
Subtilibus telis araneæ miser,
Inhæret, à quo oppressus & jam proximus
Morti, inquit, heu, quid hoc, quid infortunij est,
Victor leonis opprimor ab araneâ?*

Qui magna patrant, sæpè casu obeunt levi.

LEO ET ASINVS.

*Ibant leo ac asinus fœdere inito simul,
Tunc obviantibus lupis, se promovet,
Hic gressibus prior sonum ore & quàm potest
Altissimum edit, terrificaturus lupos.
Risere asinum lupi. leone sed propè,
Viso, celerem arripiunt pedibus trepidi fugam.
Interroganti asinus leoni, cur ita
Procurrerit? respondit: hos uti ego lupos,
Percellerem. risere me hi quidem, sed ut
Videre te, fugam dedere protinus.
Ei leo sic fatur: at verò, inquiens,
Non voce, sed virtute vincitur lopus.
Non dicta fortis sed patrata respicit.*

LEO FVRIOSVS ET CAPRA.

*Capella fortè quùm leonem cerneret,
Acri furore concitum,
O, nos, ait, nos, ò, misellas bestias,
Et sorti iniquæ deditas!
Ut quæ leones jam furiosos insuper,*

*Cogemur experiri,
 Quorum ante mente compotum intolerabilem,
 Passæ sumus Tyrannidem.
 Abile temperent & irâ Principes,
 Nec è potestate excant suâ.*

E QVVS ET CERVVS.

*Solus habebat equus formosi gramina campi,
 Qua pabulo ac escis fruebatur suis.
 Quæsiuit tandem pastum quoque cervus ibidem,
 Cervus gerens ramosa fronte cornua.
 Ringebatur equus, quod pascua carpat eodem
 Cervus loco, atque tale consilium invenit,
 Accedens hominem, rogat ut depellere cervum,
 Ab his, velit, se vindicando, saltibus:
 Ille ait: hoc si optas frenos patiaris oportet,
 Et terga des armatus ut insideam tibi.
 His, simul annueret sonipes, neque cervus abactus,
 Iuris nec esse deum relictus est sui.
 Sic qui alij invidit modicum, liber licet esset,
 In servitute venit ille pessimam.
 Nulli adeo invidias, ut, cum quo lædere possis,
 Tibimet ipse majus accersas malum.*

ASINVS ET CATELLVS.

*Canis, quum dominus rediret, illi
 Adblanditus erat, pedes levando
 Eius in gremium, benigna herus quem*

Dignatus

Dignatus fuit applicatione.

Hoc cernens asinus, parem favorem

Expectans ab hero, pedes priores

Misit in dominum, redux ut ille,

Intravit proprios suos penates.

Perversum hoc studium, ferociamq,

Iumentum dominus videns inepti,

Tergum illi rude fuste dedolavit.

Cum duo faciunt idem, hoc idem haud est.

Non omnes eadem decent, juvantque.

LUPVS SALTANS ET ANSER.

Escam lupus quum quesisset, anser

Reperto, in altis abstulit sylvas procul,

Eumq, devorare dum parat, catum

Excogitavit anser inventum, & lupum

Vehementer orat, ut, quod ipsius queat,

Facile fieri absq, fraude, se sinat suum,

Ante interitum parumper oblectarier,

Solamen hoc sui futurum funeris.

Lupus, quid illud esset, eloqui jubet.

Respondet anser: ut choréas ducere

Queat, lupo choragum agente prævio.

Lupus nihil subesse fraudis autumans,

Ait: licet, pennamq, leva prendere,

Alæ extimam anseris, salire & occipit.

Fuga sed hinc occasionem quum sibi,

Datam vidéret, in gulâ pennam lupi,

Reliquit, & se liberavit a volans.
 Lupus volantem cum dolore prosequens,
 Saltare jejunum haud oportuit, refert.
 Damnanda sunt quæ tempore haud fiunt suo.
 Non ventre jejuno iuvat saltatio.

LUPVS ET ASINVS.

Lupus asinum videns, in eum irruit, tuo,
 Meum, inquiens, ventrem saturabis corpore.
 Hic mox asinus: o, quam mihi hoc gratum est, ait,
 Ut sæpè qui mortem ipse mi exoptaverim,
 Quum sempiternis conficiar laboribus,
 Miser, dum onera porto in super & plagas fero,
 Nunc musta de lacu, cereremq, ex area,
 Nunc ligna sylvis, saxa nunc de montibus
 Portare cogor. at tibi, si videbitur,
 Me vallem in hanc abducito et vincitum quidem
 Ibiq, me mactato, totum & mandito.
 Placet lupo hoc, et reste nectuntur simul.
 Tunc asinus, ad id quæ serviebat tendere
 Villa, & lupum illac attrahere ante homines, licet
 Retrò renitentem, & furentem plurimum.
 Tunc ruere agrestes ferreis securibus
 Sudibusq, acutis, iectibusq, pluribus
 Certare, ibi fortè dissipatis vinculis,
 Lupus malè multatus fugà ad sylvas venit.
 Ipse altum asinus rudit, exilitq, gaudio.
 Hoc audiens ibi lupus, quantum libet

Clamo-

*Clamoris, inquit, ede, quantum vis rude,
 Nunquam efficies ut alligar tibi amplius.
 Tandem ipse damno stultus accepto, sapit.
 Non tuta inimici, aut profutura consulunt.*

LVPVS ET HOEDVS.

*Capra ad pascua itura mandat hædo,
 Ne cui pandere januas laboret,
 Donec Hesperus albicans Olympo
 Vellet condere lucidas quadrigas.
 Vix profecta fuit, lupus propinquat,
 Et capræ similem sub ore vocem
 Effingers aperire tecta poscit.
 Hædus fraude patente, mater, inquit
 Imberbes vetuit, mea, hospitari.
 Si morem patribus gerat juvenus,
 Tunc salus pote certa comparari.*

LVPVS ET HOEDVS.

*Postquam vim rabidi lupi cruentam
 Euasisset, ad alta semet hædus
 Levi septa ovium fugâ recepit
 Illic tutus ut latere posset,
 Illi subijciunt oves. receptum
 Cur hinc quæris, ubi omnibus diebus
 Mors certissima singulis timenda est,
 Sacra qui in jugulamur ad Deorum.
 Hædus tunc ait: ut mihi sit ista*

*Mors præclarior extitura, sanguis,
Aras si Superum imbuat meus, quam
Si fortè ora lupi irriget cruenti.*

Mors communis et omnibus parata,
Cum virtutis opinione, cumque
Verâ laude, et honestiore, debet
Conjungi, modò si cui pote hoc sit.

LVPVS ET VVLVES.

*Vulpes lupusq, litigantes, arbitrum,
Accire simium, & ante eum valde acriter,
Sese invicem accusare, tum convitijs
Proscindere, insolentibusq, jurgijs.
Tunc imperabat ut silentium arbiter
Te, lupo scio, inquit, esse rapacem prorsus, &
Astutiorum vulpe novi neminem,
Quapropter edico, sit inter vos quies,
Et mutua pax. & ceterorum animantium
In vos odium sit, & similtas omnium,
Seu sint ea ratione prædita, seu minus.
Hæc est mea illa, quam fero sententia.*

Arcto scelerosi pravitatis vinculo,
Sunt colligati ad invicem, quapropter haud
Horum, bonos, diffensionibus viros,
Decet moveri, eos sed averfarier.

LVPVS

31

LUPVS ET AGNVS.

Pellucidi claras ad undas fluminis,
Infrà bibebat agnus, & supra lupus.
Hunc cum lupus, si devorasset, oppidò
Vellet videri jure fecisse, ocyus
Rictu patente ad hunc, & acer advolat,
Quid, inquiens, scelestè aquam turbas mihi,
Ad me fluant ut inquinatæ & turbidæ,
Dignas enim verò dabis pœnas mihi.
Agnus misellus & tremens, egon' ait?
A te feruntur huc aquæ, qui stas suprâ.
Ad hunc lupus, tun' ò, malè mi dices, ait,
Nescis, pater quas solverit pœnas tuas,
Septem ante menses, oris ob proterviam?
Tum natus, inquit agnus, haud fui. Lupus,
Scin', inquit, herbis campum ut omnibus propè
Nudaveris. quid, inquit agnus, hoc ego
Commiserim, qui dentibus caream miser?
Tandem lupus: etenim licet dicaculus
Sis, & disertus, attamen, mens hæc mihi
Est fixa, cœnitare lautè quòd velim.
Dixit, cruento agnellum & ore devorat.
Id quod placet, fas est Tyrannis impijs.

LUPVS ET OVIS.

Canes malè quem tractaverant, sine viribus
Humi lupus jacebat, obviam rogans
Ovem, sibi ut potum afferret, se postmodò

d 4

Operam daturum, possit ut frui cibo.
 Ovis dolum subsentiens: me scilicet
 Cibo fruere, si tibi potum afferam.
 Dolos cavere disce versipellium.

PARDVS ET VVLPES.

De specie, lis est, pardo vulpiq³, coloris,
 Iudicis officio fungitur acer equus.
 Ille pilos iactat maculoso tergore, qui nos,
 Floribus ut pratum versicolore, juvent.
 Ista vafro obtendit versutam in pectore mentem.
 Iudicis arbitrj s ista stat, ille cadit.
 Pectoris ingenium, non corporis inspicere formam.
 Mens animi, dotes corporis, exuperat.

VVLPES ET CANCER.

Exibat undâ cancer inq³ gramine
 Pascebat, hunc vulpes adorta, luridam
 Sedare quum vellet famem, decorticat,
 Crudelibusq³ condit albo dentibus.
 Cancer sibi quum iam moriendum cerneret,
 Iure hoc, ait, patior, quod ego fluviatilis
 Cum sim, solum audax institisse, limites
 Intra meos me continere nolui.
 Qui falcem alienam mittit in messem, miser,
 Labore frustratur suo, & damnum accipit.

VVLPES

VVLVES ET GALLVS AEGROTANS.

Gallus valebat haud benè gallinaceus,
 Ad hunc adit vulpes, necessitudinem
 Praeseferens, summamq; benevolentiam,
 Vires ei, & salubritatem comprecans.
 Huic gallus, inquit, ille gallinaceus,
 Gratam profectòrcm mihi tu feceris
 Vulpes, meaq; sanitati maxime
 Conducibilem, si à me ocyus disceſſeris.
 Prasente quo vires redire mî haud queunt.
 Periculosa est hostis obſequentia.

VVLVES ET GALLVS.

Campeſtris propè culmina alta villa,
 Vulpes sic levis est adorta gallum:
 Quàm vero ſpecioſus & venuſtus?
 Quàm criſpis rutilas ſuperbe pennis?
 Audirem modò ſi ore te canentem,
 Vox eſt haud dubio optima & ſuauiſ,
 Qualis & fuit in tuo parente,
 Quæ me non ſemel ante recreavit.
 Gallo mollia verba cum placerent,
 Ut vocem ſibi in eſſe comprobaret,
 Levans ſeſe, oculisq; utrinque clauſis,
 Altum gutture cepit inſonare.
 Vulpes hunc rapit interim ore, ab itq;
 Quem mox ruſticus inſecutus, inſit:
 En mî fur rapit, en, meum iſte gallum.

*Vulpi gallus ait, calumniam istam,
 Non vis ore tuo ipsa vindicare?
 Id quàm crederet estimationem
 Non parum facere ad suam, repente,
 Hic incauta, aliàs acuta vulpes,
 Mentiris, sonat, additura & istud,
 Non fur sum, tuus est nec iste gallus.
 Diductis modicè ad sonum labellis,
 Gallus a volat, ac ab arbore alta
 Vulpis stultitiam hanc, ineptiasq.,
 Magnis exagitat strepens cachinnis.
 Multa incommoda sunt loquacitatis.*

CANIS CANEM ELIMINANS.

*Quæ facta ventre turgido fuit canis,
 Canem rogabat alterum, domi suæ,
 Dum excluderet catulos, sibi daret locum,
 Relatum ab illa iri perennem gratiam.
 Ille abnuit primò, deinde supplicem,
 Submisit, illa sic parit. mox hospes hos,
 Abire peregrinos jubet, sed advena,
 Tunc, quàm prius, rogare multò impensius,
 Ne se, tenellulos & imbecillulos,
 Eliminet. post pauculos idem dies
 Iubet: canis mater: furiit pluvialibus,
 Tempestuosus, inquit, Auster imbribus,
 Serenior, si re, oro, dum redeat dies.
 Quid faceret hospes? sic morâ additâ moræ,
 Morda*

Mordacioribus catelli dentibus,
Infestiores, hinc dein minus & minus,
Secedere, aut placari animum inducunt suum.
Exclusus ille Penatibus canis suis,
Iram dolore exasperante, iudicem,
Adit, querelas aggeratq; maximas,
Ab eâ, rogans se vindicari injuriâ.
Iudex querelas audit ille. ceterum,
Nelens sibi negotium faceßere,
Et concitare in se tot hostes, illicò,
Canis querenti dat potestatem, ipsemet,
Si Marte posset hos suo propellere,
Bonâ vel hosdem eliminare gratiâ,
Rectè saluti ut ipse consuleret suæ,
Suum canis sic perdidit jus & domum.
Iuri ipsa vis, injuriæque prævalent.
Ne splendidis promissionibus fidem,
Habeas, cave, deceptus esse nî velis.
Sæpè auxilij parum ministrant iudices.

LEPORES ET VULPES.

Contrà lupos bellum lepores parant,
Sibiq; vulpes auxilio vocant,
Communi eos ut Marte possent
Vincere, sicq; referre palmam.
Vulpes respondent: prompti in id auxilij,
Essemus, omnes, novimus at probè,

*Qui sitis, & qui sint ij ipsi,
Vos quibus arma parare vultis.*

Non hi salutem respiciunt suam,
Contrà potentes tendere qui volunt,
Cumque his simultates & iras,
Aut inimicitias fovere.

LEPORVM CONCIO.

*Quo tempore visum bestijs est omnibus
Conuentum habere, quòd aliarum plurimæ,
In ceteras essent querela, & quùm suam
Iam protulisset quælibet sententiam,
Tum concionati lepores, ita inquirunt:
AEquum sibi videri, ut una bestijs
Sit dignitas, par & potestas singulis,
Tanto nec alias plus, alias verò minus
Valere debere hinc futurum, ut infimæ
Et imbecille ne utiquam tum bestijs
Direptioni sint potentioribus.
Ad que leones sic loquutos dicitur:
Dentes & ungues huic leporum desunt modo
Orationi, cæterum parum aut nihil.
Nervis carens inanis est oratio.*

CANCER ET SERPENS.

*Visum fuit cancro atque serpenti simul
Habere, amicitiamq; colere mutuan.
At cancer ut videt anguem eundo volubilem*

Giris

Giris meandros tortuosos ducere,
 Quando animal ingenuum, ipse, & esset candidum,
 Sinuosa ei ista displicet perplexitas,
 Cum callida conjuncta fraudulentia,
 Anguem monere idcirco, & obtestarier,
 Vt circulos temperaret lapsibus,
 Et fraudulentis abstineret moribus.
 Audiuit anguis hæc quidem: at non paruit,
 Versutior sed factus est, & pravior.
 Dein tempore quodam, cancer anguem aggressus est,
 Dum conglobatus dormiebat, ac eum
 Collo tenuis suâ apprehendit forcipe,
 Pressit q̄, dum ille spiritum relinqueret.
 Directus anguis cum jaceret mortuus,
 Ibi Cancer inquit: vita dum fuit comes,
 Tu rectus esse debueras, & candidus,
 Si postulabas, anguis astutissime,
 Ferri tuam à bonis necessitudinem.

Qui non aperte amicitiam, & pie colunt,
 Sed fraudulentè agunt, sibi ipsis hi nocent.

FORMICA ET COLUMBA.

Formica potum fortè quærens incidit
 In fontis aquis &, ut moreretur, erat propè.
 Quam quùm laborantem columba cerneret,
 Ramum revellit ab arbore fonti proxima,
 Iacit q̄, in undas huic adherescens ea,
 Evadit incolumis. columbam auceps dein

*Vt vidit illic, insidias misellula
 Struens, arundines detendit subdolas.
 Formica praestiti officij non immemor,
 Clam repit inter opus ad aucupem, improbe
 Eumq; pungit. ille territus, solo
 Arundines jacet, unde stridor editur,
 Stridore quo columba percita, avolat,
 Salutem ab illa, cui dedisset, auferens.
 In bené meritos nos esse gratos convenit.*

RANA CREPANS.

*Brevis rana bovem videns opimam,
 Eius crassitiem assequi putavit
 Quire se, modo si cutem explicaret,
 Rugosam ipsa suam, simulq; buccis
 Sese inflat, teneros rogatq; pullos,
 Quam longè à bovis illa mole abesse
 Videretur? ei inquit, tenelle:
 Per, nostra ò genetrix, per usque multum.
 Tunc sese vehementius, prius, quam
 Inflans illa, quid esse crederetur,
 Rogat denuo? tum una ranula insit:
 Non huic, si medio crepes, eris par.
 Caveto nimis ardua inchoare.*

TESTUDO ET RANAE.

*Quam membris agiles desultatricibus essent,
 Testudo ranas viderat,*

Ponde-

Ponderis ipsa sui & molem deplorat inertem,
 Tardis inepta gressibus.
 Ast volucrum genti præda, cum vidit easdem,
 Feris & esse piscibus:
 Quanto, inquit, facius mi est tarda vivere, quam me
 Leto expeditam dedier?
 Sæpè ea culpamus stolidi, quæ munera nobis,
 Natura solers addidit.

MVS ET RANA.

Mus brevis latum superare flumen
 Gestiens, ranam, pote qui sit illud
 Effici, blando, sub aquis agentem,
 Consultit ore?
 Rana pellacem meditata fraudem,
 Si meo filum pede, si tuoq,
 Illiges, inquit, fluvii per altas
 Prævia lymphas
 Te traham. filum pedibusq, nectunt.
 Illa nat, murem liquidosq, tractat,
 Subter humores, m serumq, fundo,
 Mergit in imo.
 Mortuum mylvus per aquas natantem,
 Abstulit murem. simul alligatam,
 Traxit & ranam, rabidoq, utrunq,
 Condidit alvo.

Dat suæ pœnas ruditatis amens,
 Dat suæ, pœnas Sycophanta, frau dis

Callidus. qui vis propria fruatur
Sorte beatus.

AQUILA.

Fortè aquila ad leporem vultum defixa tenebat,
Præcipiti quem mox raperet demissa volatu.
Hocce parans, subito heu transfigitur icta sagittâ,
Utq; hæsit ferrum membris, sed arundinis extrâ
Penna apparerent, & eas aquila ipsa videret:
Heu mihi, quàm verò hoc, inquit, miserabile fatum,
Nunc ego quod proprijs ferior sub viscere pennis.
Res gravis, & lacrymis est deploranda profusis,
Cum bona nostra solent concire pericula nobis.

PROPRIIS PENNIS FERIMVR.

Hoc dicto, Cæsar, qui nomen habebat Iulij
Vsus erat, Christi quùm ediceret ipse, fideles
Ne doctrinarum studijs, & in arte iuventam
Rhetorica imbuerent, disciplinasq; docerent
Ingenuas, hinc usu etenim, in moremq; venire,
Artium ut auxilio, veterum doctisq; repertis,
Christiade soleant elumbia paganorum
Scita refutare, & validis configere telis.

GALLVS VNIONEM REPERIENS.

E sterquilinio, cibos, ut assolet,
Gallus petebat ipse gallinaceus,
Fimumq; verrens pedibus ecce splendidum,

Ingentis

Ingentis & precij unionem repperit,
 Illo reperto, gallus: ad quid unio,
 Mihi, inquit, iste tam preciosus? aridi
 Ut cui potius granum fuisset hordei,
 Quo ventrem aliquà satiare quivissem meum,
 Nequè ille mi prodest, nequè illum ego tollere,
 Vel illi honorem conciliare, vel decus,
 Scio, alter in neutro auxiliij sic quicquam habet.

Fortuna opes & dignitatem pluribus,
 Sæpè exhibet, quæ sustinere non queunt,
 Frequenter infamare deniqnè & solent.
 Incommodè contingit eruditio,
 Iis, eâ rectè utier qui nesciunt.

GALLINAE ET PERDIX.

Gallinis homo qui delectabatur alendis,
 Huic quoquè perdicem, quam ceperat ille, cohorti,
 Addidit. hanc morsu impetere, & propellere ab escis,
 Gallinae occipiunt. illa, heu, se affligere & angi,
 Corde suo, sibi propterea hoc contingere credens,
 Quòd grege ab illarum dispar, peregrina quòd esset.
 Dein quoq; gallinas sibi mutua figere rostra,
 Conspicit, hoc viso se consolatur, ait q;:
 Quid facerent alij, sibi met qui parcere nolunt?
 Publica conditio privata incommoda sedat.

f

MONEDULA ET COLUMBAE.

*Cibus columbas copiosioribus
 Frui videret avara quum monedula,
 Nigredinem cerussa adobliniens suam,
 Iis advolat, quæ et amdiu facile hanc ferunt,
 Os donec alto adstringeret silentio,
 Sed eam, deïn, simul inamabili sono,
 Exaudivere crocitantem: protinus,
 Pulsam suo tum, eliminant consortio.
 Illa quidem adit ubi erat prius, monedulas,
 Sed albicante quòd colore præditi,
 Sit visa, ab his identidem propellitur.
 Sic sorte, quæ contenta non fuit suâ,
 Petens meliorem, utriusq; perdit commoda.
 Contentus esto quisque fortunâ suâ.
 Cupiditates haud juvant, nocent magis.
 Comes loquacitatis infelicitas.*

HIRUNDO ET TURDUS.

*Fortè suæ matri dixit genialis hirundo:
 O, genitrix, quàm formosa, & quàm commoda vitæ,
 Est consors inventa mihi sub frondibus altis,
 Quæ cum sit dulcem mihi spes traducere vitam.
 Mater ei: quæ nam, mea nata, illa, optima compar,
 Quæ cum sit dulcem tibi mens traducere vitam?
 Illa, meos, inquit, turdus delectat ocellos.
 Mater ad hæc: crit hæc dispar tibi, filia, compar,
 Usque ad eò inter se natura utriusq; repugnat:*

Tu

*Tu mea nata fugis frigus, fugit illa calorem,
Caratibi est aestas, sed hyems est carior illi.*

Non benè dissimiles, inter se foedera jungunt.

HIRUNDO ET AVICVLAE,

*Linis semina in arva quandò primùm,
Spargebantur, ibi alites hirundo,
Monebat reliquas, ut illa secum,
Vndiquè eruerent, quòd herba, ab illis
Relictis, oritura sit, volucrum
Noctissima catui universo.
Hoc quùm displicuit, monebat, herbas
Enatas premerent, revellerentq̃.
Quùm & hoc abnuerent patrare, hirundo
Mox sylvestria, solitudinesq̃,
R' linguens, hominum greges adivit,
Illorumq̃, colit sodalitatem.
Maturum capitur deinde linum,
Ex quo retia laxa construuntur,
In quibus misera alites tenentur.
Serò consilij neglectionem,
Deslentes temerariam salubris.
Quisquis consilium, bonum repellit,
Non mirum est, malè si periclitetur.*

MILVIUS ET COLVMBÆ.

*Ex formidine Milvij columba,
Patronum accipitrem sibi advocarunt
Cujus presidio integræ esse possent,*

Illas accipiter ferus columbas,
 Admissus, veluti parum obsequentes,
 Castigans, Hyperionis sub una,
 Diurni face, stragis edit atræ
 Plus intrapavidos domi penates,
 Quam, si liberè ubiq; pervolassent,
 Longo tempore milvius dedisset.

Tutela est fera præsidum malorum.

MERULA ET VESPERTILIO.

Cum caneret merula in cavea sub nocte silenti,
 Dixit ei vespertilio, cur luce serena
 Non canis? illa refert: laqueis quia tristibus olim
 Capta fui, canerem clari quum ad lumina solis.
 Tum vespertilio: miserè ipsa caves modò, dudum
 Debueras cavisse, prius quam capta fuisses.

Post damnū acceptū omnis circūspectio fera est.
 Sero sapit qui jam malo accepto sapit.

PAVO ET GRVS.

Ante gruem sese Iunonius extulit ales,
 Pulcris venustus ales ille coloribus,
 Quanta mee est, inquit, species, quæ gloria formæ?
 Est quanta corporis tui deformitas?
 Grus ea contemnens subito avolat, ac ita fatur:
 Quam tu es gravi, quam sum levi ipse corpore?
 Ob dotes proprias alios contemnere noli.
 Deus sua quemvis beavit gloria.

ARANEA ET PODAGRA.

Fortè à texendis cessabat Aranea telis,
 Et sese teneros oblectatura per agros,
 Expa-

Expatiabatur, cui se non gressibus æquis,
 Illic antè oculos offert nodosa Podagra,
 Iungere amicitias, & fœdera mutua habere,
 Atq; viam, visum, simul, est protendere utriq;
 Et sic vicinæ succedunt mœnibus urbis.
 Quæq; suâ hospitium pro conditione petebat.
 Non magnam insumens operam, pervenit Arachne,
 Divitis eximias ostentatoris in ades.
 Ilicet illa suas inibi longo ordine telas,
 Prepandebat, & undiq; retia laxa parabat,
 Læta animis sed nescio qui trygodæmones illi,
 Continuo textrinam omnem, vel arundine longâ,
 Vel virgis levium proturbavere scoparum.
 Sic adeo, quacunq; loci se vertit in aulâ,
 Momentaneus is fuit, & labor irritus illi,
 Infelix planè, ut quæ, rerum divite in aulâ,
 Cunctarum, sola, heu, compellebatur egere.
 At Podagra, heu, miseri tunc mendicabuli ad instar,
 Pauperis hospitium tugurj vix obtinuit, quo
 Postquam decubuit, nil non miserabile sensit.
 Nam cenaturienti atrâ è silligine panis,
 Vix & hianti aspris cum faucibus, urceus illi
 Sordidus, insipidâ plenus de flumine lymphâ,
 Apponebatur, quo, si velit, ora rigaret.
 Deq; viâ lassescenti torus horridus illi,
 Frondibus haud ullis, haud ullo gramine fultus,
 Sed paleis duris, granisq; rigentibus asper,
 Insternebatur. non hic mihi dicere mens est,
 Quàm membris minimè convenerit ista tenellis,
 Atq; cuti molli, ut sic dicam, holoserica & isti,

Lectica aspera, barbari & isti in tegmine villi.
 Vix tandem radijs illuxerat ignicomus Sol,
 Exaudire potis Sol omnia, & omnia obire,
 Conveniunt ibi rursus Aranea, & agra Podagra,
 Illi prior varios casus, variosq; labores
 Præteritæ enarrat noctis, quos sumsit inanes,
 Nunc & heri nimiam exprobrans circum omnia tecta
 Mundiciem, nunc serworum purgamine crebro,
 Sævitiæ inde suos quoque curva Podagra querelas
 Aggerit, hospite quam sit paupere, & usa, maligno.
 Nec satis otij habet monstrare, atq; edere pandas
 Vibices, ibi quas adamantina fulcra tenelle
 Impressere cuti. Placet hoc, ut aranea deinceps
 Tecta in opum subeat, locupletum at mollis in ædes,
 S: podagra insinuet. venit Hesperus, atra subit nox,
 Vicinamq; simul post ingrediuntur in urbem.
 Consilij hic initi non immemor ipsa podagra,
 Cujusdam pedetentim se illatebravit in ædes
 Divitis, hanc ut herus conspexit, dicere non est,
 Qualibus officijs, quam voce, manuq; benignis,
 Prorsus & ambabus venientem exceperit ulnis?
 Nec mora supponuntur ei per splendida tecta
 Cui citre olorine, atq; referta toralia plumis,
 Plumis, perdicum quæ sunt sub mollibus alis,
 Ut taceam omnigeni fragrantia pocula Bacchi,
 Aut Surrentinis natos in vitibus haustus,
 Hesperijs procul aut vinum quod crevit in oris.
 Non ego ficedulas, quasq; India, & ultima Phasis
 Mittit aves, referam, nihil & non omnigenarum
 Ipsa

Ipsa gula indulgens exhaust deliciarum.

*Pauperis ipsa casa successit Aranea tectis,
Illic gnara suos quocunque in pariete casses,
Raraq; curvatis suspendit retia tignis,
Orbiculari operi, manibusq; & corpore toto
Intenta, & pede percurrit vaga stamina molli,
Fila tholis abrupta redintegrat, orsa figurat,
Iamq; scopas omnes supra, non ullius ullas
Insidias timet, & vacua dominatur in aula.*

*Tempore dein quodam Podagra ipsa invisit Arachnen,
Ac epulas illi eximias, potusq; suaves,
Deliciasq; omnes magno deprædicat ore.*

*Nec minus & multis commendat aranea verbis,
Imperiumq; suum, libertatemq; laborum*

*Ex illo placet hæc sententia, tempore, utrique,
Ut quocunque abeant: locupletum condat in aulas
Se Podagra, ast inopum subrepat aranea caulas.*

Est magis hic, loco in hoc, felix, magis alter in illo.

Morborum effusas domicilia dixeris Aulas.

Libertatis ibi plus est, ubi deliciarum

Est minus, in tenui vita securius ævum.

INDEX.

*Sit ordo personarum, & ordo animantium,
In hisce fabulis tibi instar indicis.*


FINIS.

X 2196 311
sb

7 8

5





FABVLÆ

EX
ANTIQVIS ET RECENTIBVS
AVCTORIBVS SELECTAE, ET

à
Pantaleone Candido Austriaco,
Carminibus explicatæ.

Auctor Lectori.S.

*Vera, Dei ex Verbo, qui non vis discere, saltem
Te doceat mores fabula ficta, bonos.*

Impressum Biponti M.D.XCVI.

